1528 ante 23 aprilis

Petrus Tomiczki episcopus Cracoviensis et regni Poloniae Vicecancellarius Andreae Krzyczki episcopo Plocensi.

120

Reverendissime in Christo Pater et domine nepos Charissime. Fuit apud me Noster dominus Brodericus qui contulit mecum abunde de rebus serenissimi domini regis sui ego vicissim aperui illi libere id quod de illis sentio et spero, exhibui ei hic omnem humanitatem quam potui et pro viatico quinquaginta florenos in moneta illi donavi, jussi praeterea dari, et sufficientem provisionem, in praediis et bonis meis per quae eum deduci feci usque in Tarnow ad haec mandavi prefecto meo Radloviensi et quamdiu manserit in Tarnow, equos ejus cum aurigis et stabulariis ad se in Radlow recipiat, et omnibus necessariis provideat. Ducitur certe vanis ac meo judicio incertis spebus, serenissimus dominus rex suus Joannes, et timendum est ne deducant eum ad majus exilium et ruinam, felicissime valeat vestra reverendissima dominatio et me diligat. Datum in Bodzecin.